

melius doceri velit:) contentus ero si non verbis,  
at honestis actionibus & exemplari vita omnes  
converte re & ad timorem Dei adducere possim.

# PRÆSTIGIARUM

A T H E I S M I

*Deprehensio & reprehensio: seu  
ad superiorem Epistolam  
responsio, S. P.*

**O**ccultum istud delicti genus, quod Au-  
tor ingenue confitetur, non est adeo ab-  
ditum & vulgi cognitionem refugiens, quin to-  
ti mundo pateat, & veluti falsa moneta passim  
jam omnibus innotuerit. Ita profectò frequens  
peccati hujus usus inolevit, quod vulgò quibus-  
dam *piccolo peccadillo* agnominatur, (nihil aut'  
non multum credere) ut jam vel in auriculari  
confessione, sive per oblivionem, sive per negle-  
ctum, tanquam res nullius momenti omittatur.  
Nec adeo subtile ac perceptu arduum est, ut in  
eo intelligendo vires mortalium fatigandæ sint,  
cui percipiendo vel mediocre judicium, modò  
sit sanum, sufficit. Nec modò futilitatem erro-  
ris hujus plene capere, ac meritò carpere, sed  
firmamenta ejus penitus discerpere atque refel-  
lere potest. Quis enim non facile animad-  
vertat, non alium esse hujus doctrinæ & opi-  
nio,

A 6

SLUB